



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque  
Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

ij. De ministro suspensionis, & forma ferendi illam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13883**

Maiol. lib. 3. cap. 19. num. 10. de irreg.

Tertio, Suspensio vi sua reuocabilis est, priuatio autem iure ordinario reuocabilis non est, vt Doctores communiter affirmant.

Quarto, Suspensio veram censuram rationem retinet, priuatio autem vera censura non est, vnde si suspensus ab ordine in perpetuum celebraret efficeretur irregularis, & in potenda dispensatione irregularitatem etiam exprimeret oportet, arg. cap. 1. de sent. & re iudic. lib. 6. & cum medicinalis, de sent. exc. lib. 6. Specul. in tit. de dispens. sauxta, vers. vt autem in hac materia. Simon Maiol. lib. 3. de irreg. c. 19. nu. 2. vers. Quarta extensio.

27 Dicitur Nono Quoad totum vel pro parte quia aliquando quis suspenditur a toto ordine, sive ab omnibus ordinibus, aut ab omnibus beneficijs, vel a toto exercitio aliquando ab aliquo vno certo beneficio, aliquando ab vno certo ordine, aliquando ab omni officio, aliquando a certa parte beneficij, vnde tanta vim habet suspensio, quantum sonant verba, & aliquando etiam maiorem, vt ex ijs, quae dicemus inferius manifestum erit.

28 Quoad diuisionem vero suspensionis, varias afferunt Doctores, nos hic visitationes solum afferemus.

Primo enim diuiditur ex parte causae efficientis, quod alia sit a iure, alia ab homine. Summa Astensis par. 2. lib. 7. tit. 16. art. 1. q. 11. & art. 7. Angelica, verbo, suspensio 1. in princip. Syluest. in verbo, suspensio, in princip. & q. 5. Tolet. lib. 1. instruct. Sacerd. c. 12. Tabiena, verbo, suspensio, nu. 7. vers. Sexto. & num. 8. vers. Septimo. Martin. Ledefm. 2. q. 16. art. 2. tract. de suspens. Nauar. in Man. c. 27. num. 154. Henriquez li. 13. de excom. & suspens. c. 3. l. 3. Vgolin. Tab. 4. c. 1. & c. 3.

29 Secundo ex parte causae, propter quam fertur, & est duplex, vna propter culpam, id est peccatum, altera propter contumaciam, ex Summa Astensi, vbi supra, par. 2. tit. 16. art. 2. Syluestro in verbo, suspensio, q. 4. Tolet. lib. 1. c. 13. & Vgol. Tab. 3. c. 12.

30 Tertio ex parte materiae, & est triplex vna est suspensio ab Ordine; Alia a Iurisdictione; Tertia a Beneficio: suspensio autem ab Officio duas priores continet.

31 Quarto ex parte modi suspendendi, & est duplex, vna est suspensio absoluta; altera conditionata. Absoluta secum trahit statim executionem, conditionata vero executione non trahit, nisi postquam accedat conditio, ex Syluestro vbi supra, q. 4.

32 Quinto ex parte durationis, & est triplex, vna est simpliciter sine vlla temporis mentione; Alia cum determinatione temporis, vsque ad annum, mensem, &c. aut quousque hoc vel illum fecerit. Tertia, cum exclusione temporis in perpetuum, & de hac superius diximus, quod cum depositione participet.

33 Sexto ex parte cessationis eius, & est duplex; vna est quae cessat sine absolute per solum lapsum temporis; Altera per exercitium, vel omissionem alicuius actus. Quae omnes diuisiones ex his quae inferius dicimus manifeste erunt.

34 Reliquae diuisiones aut falsae, aut impropriae sunt, illa enim quae fit in suspensionem maiorem, & minorem omnino falsa est, cum in iure non reperitur talis suspensio minor. Deinde suspensio est species distincta ab excommunicatione minori. Praeterea, excommunicatio minor prohibet passiuam receptionem Sacramentorum, cap. si celebrat, de Cler. excom. in iust. suspensio autem proprie prohibet, ne Sacramenta ministret, aut sacra ex officio faciat, arg. cap. 1. §. fin. de sent. & re iudic. lib. 6. & cap. 1. §. fin. de sentent. excommunicat. lib. 6. & sic actiue tantum: vnde suspensus Sacramenta recipere potest: Item excommunicatio minor communis est omnibus fidelibus, suspensio Clericis tantum competit, vnde diuisio haec, quam sequuntur & afferunt Panorm. in cap. cum dilectus, num. 20. de Consuetud. & in cap. si celebrat, num. 4. de Cler. excommunicat. ministr. Alphonsus Vualdus, in suo Candelabro aureo tit. de Suspens. numero 6. & numero 9. & Gregorius de Valentia, Tom. 4. Disput. 7. questio. 18. Puncto 1. & Syluest. verbo, suspensio, numero 1. falsa est, & merito a Nauar. in Manual. cap. 27. num. 152. Henriquez lib. 13. de excom. & susp. cap. 3. l. 3. & Vgolin. Tab. 4. capit.

quinto, refertur. Illa etiam, qua suspensio diuiditur in eam, quae est quoad se tantum, vel quoad alios tantum; vbi quoad se, & alios simul, quam affert Panorm. in cap. si celebrat, de excom. ministr. improprie suspensio, extensio suspensionis vocabulo, vt praefati auctores vbi supra tradunt.

De Ministro Suspensionis, & forma ferendi illam. Cap. II.

S Y M M A R I V M.

- 1 Excommunicare qui potest, etiam suspendere valet.
- 2 Ius commune in quemcunque clericum totius orbis suspensionem ferre potest.
- 3 Legatus Sedis Apostolicae personas in loco suae legationis existentes tantum suspendere valet.
- 4 Episcopus subditos suos extra territorium suum existentes suspendere nequit.
- 5 Episcopus alienum in sua dioecesi delinquentem, & manentem suspendere potest.
- 6 Praelatus quilibet iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris habens subditos sibi suspendere valet.
- 7 Suspensionis sententiam qui ferat, clericus saltim tonsuratus esse debet.
- 8 Confessarius poenitentem proprie suspendere nequit.
- 9 Abbatisa an clericos ecclesiarum sibi subditarum a beneficio suspendere possit.
- 10 Feminis suspendendi facultatem Papa concedere potest.
- 11 Suspensio in non sibi subditum lata nulla est, & irrita.
- 12 Religiosi ab ordinarijs locorum an, & quando suspendi possint.
- 13 Suspensio ferenda nulla certa verborum forma praescripta est.
- 14 Suspensio non nisi praemissa monitione ferri debet.
- 15 Suspensio in scriptis, & expressa causa ferenda est.
- 16 Monitio in sententijs generalibus a iure, vel ab homine, pro facto futuro latis, non est necessaria.
- 17 Iudices Ecclesiastici sine solemnitatibus debitis suspensionis sententiam ferentes quas poenas incurrant.
- 18 Episcopus aliquem ab actu, qui illi solo iure ipsius suspendentis competit, sine debitis solemnitatibus suspendit, poenas iuris non incurrit.
- 19 Episcopus parochum ab audiendis confessionibus sine scriptis suspendens, peccat, & poenas iuris incurrit.
- 20 Praelati regulares religiosos sibi subditos ab audiendis confessionibus sine scriptis suspendentes communiter non peccant, & quae sit ratio huius.
- 21 Religiosi potestatem audiendi confessiones a Papa, non nisi cum subordinatione ad superiorem religionis, accipere censentur.

1 **Q**uae de ministro excommunicationis in primo libro dicta sunt, etiam suspensioni conueniunt; siquidem qui excommunicare potest hic etiam suspendere valet ex Summa Astensi, par. 2. lib. 7. tit. 16. artic. septimo, in fine. Syluest. verbo Suspensionis. numero 2. Tabiena, verbo suspensio, numero 8. vers. Septimo. Nauar. in Manu. cap. vigesimo septimo, numero 159. Cosmo Philiarcho, de officio Sacerd. par. 1. lib. 4. capit. 1. Sebastiano Medice par. 2. Summa, tit. 9. questio. 17. Tolet. lib. 1. de instruct. Sacerd. capit. 13. Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 4. cap. 1. Henriquez l. 13. de excommunic. & suspens. cap. 3. §. 1. vnde breuiter Ius commune in quemcunque clericum totius orbis sententiam suspensionis ferre potest. Deinde auctor iuris scilicet Summus Pontifex, vel Concilium Generale id ipsum facere possit; Alij vero praelati generalem sententiam

tiam suspensionis in omnes ferre non possunt; sed solum  
 3 in personas sibi legitime subiectas, vnde Legatus Sedis  
 Apostolicæ hanc sententiam in personas tantum in loco  
 suæ legationis existentes ferre valet; Episcopi etiam in quæ  
 cunque Clericum suæ Diocesis id ipsum possunt; qui si-  
 cut iurisdictionem limitatam habent quantum ad perso-  
 4 nas, ita quantum ad territorium propriæ Diocesis, adeo  
 vt extra territorium positos etiam suos subditos suspē-  
 dere nequeant, sicut nec excommunicare; vnde, si generalē  
 sententiam suspensionis contra omnes subditos in aliqua  
 particulari re delinquentes proferat, non comprehenduntur  
 subditi qui extra territorium deliquerunt, & manent.  
 Quia licet subditi ratione personæ, & pro foro conscientie  
 Episcopo proprio subiacent, pro foro tamē Exteriori Epi-  
 scopo loci subijciuntur; Immo vero, nec comprehenditur  
 subditus qui intra Diocesim manet, si in loco exēpto delin-  
 5 quat. Econtra vero, cum ratione delicti Clericus illius  
 Diocesis esse censetur in qua moratur, alienū in sua Die-  
 cesi delinquentem, & manentem suspendere potest Episco-  
 6 pus, non tamen si ab ea recessit nisi fuerit citatio præuen-  
 tus. Et denique vnusquisque prælatus habens iurisdictionem  
 Ecclesiasticam in foro exteriori habet etiam potestatem  
 ferendi sententiam suspensionis in personas sibi legiti-  
 me subiectas, vt Generales ordinum, Prouinciales, Ab-  
 bates, & alij similes, quibus secundum suas Regulas com-  
 petit iurisdictione exterior, in suos subditos has sententias su-  
 7 pensionis ferre possunt. Quæ omnia latius in materia ex-  
 communicationis exposita sunt.

7 *Præter* autem quis sententiam suspensionis in aliquem ferre  
 possit, non solum iurisdictionem in foro exteriori habere  
 debet, (qua ratione confessarius, vt diximus, propter pe-  
 8 nitentem suspendere nequit, quamuis si homo acceptauerit,  
 in penitentiam suspensionem, teneatur seruire sub pec-  
 cato non tamen transgrediendo irregularis erit;) sed etiā  
 Clericus saltem iurisdictionem esse debet; vnde, licet Syluester,  
 in verb. Abbatis, & verbo, suspensio, num. 2. ex Innoc. &  
 Henriquez lib. 13. de excomm. & suspens. c. 35. §. 1. dicere  
 videntur Abbatisam suspendere posse a beneficio Cleri-  
 9 cos Ecclesiarum sibi subditarum, si hoc sibi ex consuetudi-  
 ne sit concessum, arg. cap. dilecta, de maiorit. & obed. Cō-  
 munitatem Doctorum, & recepta sententia est, quam se-  
 quuntur glo. in d. dilecta, in verbo, iurisdictionem, &  
 Innoc. & Panorm. ibidem. Palud. 4. dist. 18. q. 2. art. 3. Con-  
 clus. 4. Alphonsus Viualdus in suo Candelabro, aureo, tractat.  
 de suspensione, nu. 151, qui alios refert, & alij omnes  
 hanc suspensionem proprie non esse, nec veram censuram,  
 quia Abbatisa tum ex defectu ordinis tum ex defectu se-  
 10 xus, non est capax iurisdictionis Ecclesiasticæ, immo vero  
 Innoc. in d. cap. dilecta, in fine, & Panorm. & Felin. ibi, nu.  
 4. dicunt, nec consuetudine, vt id possit fieri posse; quam-  
 uis consuetudine aliqua Abbatisa præscriperunt potestatem  
 exercendi aliquos actus, qui in Clerico essent actus iurisdictionis,  
 qui tamen in Abbatisa ipsa non sunt actus iurisdictionis  
 habent. Neque contrarium ex d. dilecta, colligitur, illa  
 enim suspensio potius simplex quædam prohibitiō fuit,  
 quam vera suspensio. Qua de causa Pontifex non iubet ei,  
 ad quam rescribit, vt curet suspensionem seruandam, sed  
 solum vt Abbatisa mandatis obtemperaret, nulla prorsus  
 mentione suspensionis facta, cuius tamen mentionem  
 fecisset, si suspensio valisset, vt Innoc. ibidem animaduertit,  
 vnde nec contrarietates eo loco dicuntur incurrisse  
 irregularitatem, quam tamen incurrisissent, si suspensio illa  
 ab Abbatisa facta vera suspensio, & censura Ecclesiastica  
 10 fuisset. Potest tamen Papa etiam feminis facultatem sus-  
 pendendi concedere, vt Palud. 4. d. 18. quest. 2. art. 3. Con-  
 clus. 5. §. Anton. 3. par. tract. de suspens. cap. de causa efficiē-  
 te. At illa verbo excomm. num. 24. Vgolin. de censur. Ec-  
 cles. Tab. 1. cap. 2. §. 7. num. 5. Henriquez lib. 13. excommu.  
 & suspens. cap. 35. §. 1. cum hoc solum sit de iure humano  
 illis prohibitum, cui Papa præest, argu. c. proposuit, de con-  
 cess. præbend.

11 *Deinde* vero suspensio lata ab eo, qui iurisdictionem fo-  
 ri exterioris habet in personam non sibi subditam, nulla &  
 irrita est, vt latius tradit Palud. 4. d. 18. q. 2. in 2. par. artic. 2.

quo modo per Alexand. Papam in quodā privilegio, non  
 incipit; *Nimis iniqua*, declaratum est, suspensiones latas  
 per quoscuque Prælatos, contra Fratres Prædicatores, &  
 contra Indulta privilegiorum ordinis, esse ipso facto irri-  
 12 tas, & inanes; ex S. Anton. 3. par. tit. 27. cap. 4. & Tabiena,  
 verbo, suspensio numero 14. vers. Decimo tertio. Eadem  
 iudicium est de alijs ordinibus Religioforum, qui ferre om-  
 nes exempti sunt a iurisdictione Ordinariatum, exceptis  
 casibus in quibus Religiosi etiam exempti Ordinarijs sub-  
 iiciuntur, cuiusmodi aliqui in iure nouo Concilij Trident.  
 habentur. Alia quæ ad hanc rem pertinent ex dictis de ex-  
 communicatione manifesta sunt.

13 *Quoad* formam autem, quamuis sententia suspensio  
 sicut & aliarum censurarum non habeat vllam determi-  
 natam formam, qua ferri debet, sed vim habet sub quacum-  
 que forma proferatur, dummodo per verba sententiam  
 latam experimentia feratur, ex Nau. in Man. cap. 27. num.  
 161. vers. Sexto; Henriquez lib. 13. de excomm. & susp. c. 34.  
 §. 3. Vgolin. Tab. 4. c. 14. Toledo lib. 1. Institut. Sacerd. c. 13.  
 & alijs; in iure tamen solemnitates quædam in hac senten-  
 tia præferenda requiruntur.

14 *Prima* est, vt præcedat monitio. In qua re, licet Panorm.  
 in comprehensibilis, num. 3. & 4. de appell. & Tabiena, ver-  
 bo, suspensio numero 8. vers. Septimo, & alij simpli-  
 citer dicant, ad ferendam sententiam suspensionis neces-  
 sariam esse monitionem; multo tamen melius Innocentius  
 c. Ad hæc quoniam de appell. & in c. 1. de excess. præb. &  
 in c. 1. de sent. excomm. lib. 6. Summa Atrensis, par. 2. lib. 7.  
 tit. 16. artic. 8. Nauar. in Man. c. 27. nu. 159. & 164. Vgolin.  
 Tab. 1. c. 18. num. 2. Syluester verbo, suspensio, quest.  
 4. & Sebastianus Medices, par. 2. Summa. tit. 9. q. 18. &  
 communior opinio Canonistarum hoc limitat, ad eam io-  
 lum suspensionem, quæ fertur propter contumaciam, ita  
 vt non habeat locum in ea quæ fertur propter crimen, seu  
 delictum, arg. c. 2. de Constitut. lib. 6. & c. Quamquam, de  
 censib. eod. lib. eo quod monitio respicit futurum, crimen  
 autem sit quod præteritum est.

15 *Secunda* est, vt feratur in scriptis, & exprimat causa  
 propter quam fertur, & vt Iudex requisitus exemplum sen-  
 tentiæ in fra mensum tradat, vt habetur c. cum medicinalis,  
 de sent. excomm. lib. 6. Summa Atrensis, Syluester, & Nauar.  
 vbi supra, num. 159. Henriquez lib. 3. de excomm. &  
 susp. c. 34. §. 3.

16 *Circa* has autem solemnitates tria præcipue obseruan-  
 da sunt:

*Vnum* est, Quod in suspensionibus, quæ feruntur in ge-  
 nerali pro facto futuro, siue ferantur a iure siue ab homine  
 non requiritur vlla monitio præter publicationem, qua fertur  
 ipsa censura, ipsa enim habet locum monitionis, vt Ex-  
 17 emplum causa, si Episcopus dicat, *Si Clericus tale quid futu-  
 ri suspensus sit* &c. illa est sufficiens monitio. Ratio est: Quia  
 dum hæc sententia generalis sit, nullum respicit particu-  
 larem, quem monere possit, ex Vgolin. de cens. Eccles. Tab.  
 c. 18. in princip. nu. 2. & §. 1. post Palud. 4. dist. 18. q. 7. art. 7.  
 Conclus. 10.

17 *Alterum* est, circa secundam solemnitatem, vt scilicet  
 iudices Ecclesiastici quæ prætermissa sententias excommu-  
 nicationis aut suspensionis ferunt, has penas incurran-  
 t.

*Primo* quidem, quod sint per mensum suspensi ab in-  
 gressu Ecclesiæ, & diuinis officijs.

*Secundo*, tenentur ipsis suspensis, de expensis & inter-  
 esse.

*Tertio*, puniendi sunt alijs penis condignis, & gravioribus  
 ad terrorem aliorum, vt habetur in cap. cum medicinalis,  
 de sent. excomm. lib. 6.

18 *Tertium* est, ex Palud. vbi supra, Conclus. 10. quod nota-  
 tu dignum, & vtilissimum est, has penas non habere locum  
 nisi quando Iudex Ecclesiasticus aliquem suspendit ab illo  
 actu quod suo iure competit ipsi suspensio; si vero sus-  
 penderet ab actu qui illi competit iure ipsius suspenden-  
 tis, scilicet ex commissione ipsius suspendentis, tunc nec  
 incideret iudex iste in penas, neque peccaret. Vt exem-  
 pli gratia, simplex Sacerdos non habens curam in ma-  
 ritum, non potest confessiones iure suo audire; vnde si Epi-  
 scopus

scopus commisit simplici Sacerdoti facultatem audiendi confessiones, & postea illum ab audiendis confessionibus etiam sine scriptis suspēdat, nec peccat Episcopus, nec in prædictas penas incurrit. Cuius rei hæc ratio est: quia suspensio hæc non est proprie suspensio, quæ est censure, sed inhibitiō, & reuocatio concessiōnis iam factæ. Quare sicut Episcopus a principio simplici verbo facultatem audiendi confessiones committere potuit, ita etiam ex post facta simplici verbo potest illam reuocare potest; & sicut simplici verbo potest illam in totum reuocare, ita etiam & in parte, & ad tempus vtendo nomine suspensionis. Sin autem Episcopus parochum ab audiendis confessionibus suspenderet sine scriptis, grauius peccaret, & pænas d. c. c. medicinalis, incurreret; quia est vera, & proprie dicta suspensio, & ei competit ex officio.

20 Et quod diximus de Episcopis, pari ratione dici potest de Abbatibus, & Prioribus Religionum; communiter enim non peccant Prælati Religiosorum suspendendo Religiosos sibi subditos ab audiendis confessionibus sine scriptis. Et quidem si illos suspendant ab audiendis confessionibus Religiosorum ipsorum, res est certa, qui confessiones eorum audire, non incumbit illi confessario, nisi ex commissione superiorum, ideoque totam potestatem, si velit, reuocare poterit nudo verbo, sicut dedit, & multo magis potestem; Sin verò suspendat illum ab audiendis confessionibus quorumcumque, etiam laicorum, est maxima difficultas, eo quod potestas audiendi confessiones laicorum ipsis ex delegatione suorum superiorum nõ incumbit, sed ex Summi Pontificis delegatione. Quia in re licet Paludanus vbi supra, art. 3. Concluf. 10. parum dubitet, nec ita tuto affirmet, dicit tamen etiam tunc superiorem penas illas non incurtere, quia etsi Religiosus potestatem audiendi confessiones accipiat a summo Pontifice, illam tamen absolute, & simpliciter a Papa non accipit, sed cum subordinatione ad superiores Religionis: immo post Conciliū Tridentinum, vt habetur Sessioe 23. de reform. ca. 15. etiam cum subordinatione ad Episcopos, ita vt nullus Religiosus confessiones secularium audire possit, nisi ab Episcopo per examen approbatus fuerit; nullus autē ab Episcopo approbari potest, nisi prius de vita, & moribus a superioribus approbetur. Cum igitur facultas hæc non nihil pendeat a commissione superioris, probabilissimum est quod a Paludanus, superiores confessarios huiusmodi solo verbo suspendere possit,

diuis superioris peccet, irregularis tamen non est, & que huius ratio sit.

- 11 Irregularitas non nisi in casibus a iure expressis incurritur.
- 12 Prohibitio exercitij ordinis superioris in suspēso ab inferiori vnde nasci censetur.
- 13 Suspensio ab ordine inferiori exercendo, uel cōferendo, ab inferioris exercitio, uel collatione non suspenditur.
- 14 Suspensio a collatione Diaconatus, ordines minores conferre potest.
- 15 Suspēsus ab actione determinata, ab alijs actionibus, que illi non sunt annexæ, non suspenditur.
- 16 Suspensio ab altaris officio, reliqua Sacerdotij munera sine peccato exercere potest.
- 17 Suspensio ab altaris officio solemniter baptizare, & alia Sacramenta conferre potest.
- 18 Suspensio ab vno certo officio, ab alijs muneribus ei nõ annexis quare non censetur suspensus.
- 19 Suspensio ab aliquo, in quo plura fundantur, an ab alijs in illo fundatis sit suspensus.
- 20 Iurisdictio Ecclesiastica in ordine fundatur.
- 21 Fundamento sublato, quod supra fundatum erat, consistere non potest.
- 22 Executio rei fundatæ a substantia ipsius rei, non autē ab executione fundamenti dependet.
- 23 Operatio rei fundatæ ab operatione fundamenti non dependet.

Variis ac multiplex suspendendi modus tum in iure tum ab homine reperitur, quia nobis prius repetendus, postea verò explicandus est.

Primus est simplex, & absolutus, explicato solo suspensionis nomine, tacito tamē a quo quis suspensus sit, vt cū suspensio sic fertur, *Suspendo te*, Quæ suspendendi forma habetur in c. cum bonæ, de etat. & qual. & in c. vt Clericorum, de vita & honest. Cler. & in cap. 1. de vsur. lib. 6. & in Clem. 1. §. ceterum, iuncta glos. in verbo, suspensionis, de priuileg. & in Extrauagan. 3. tit. eod.

Secundus est suspendo te ab ordine.

Tertius, ab ordine Pontificali.

Quartus, a Pontificalibus.

Quintus, a collatione ordinis.

Sextus, a collatione determinati ordinis.

Septimus, a Iurisditione.

Octauus, ab aliquo alio ordine particulari.

Nonus, ab officio.

Decimus, ab officijs diuinis.

Vndecimus, ab aliquo particulari officio.

Duodecimus, a beneficio, vel beneficijs.

Decimus tertius, ab officio, & beneficio.

Decimus quartus, ab officio vel beneficio.

Decimus quintus, ab administratione Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus.

Decimus sextus, a perceptione Sacramentorum.

Decimus septimus, a collatione Sacramentorum.

Decimus octauus, ab ingressu Ecclesiæ. De quibus omnibus in particulari in sequentibus late dicemus. In præsentiarum solum generales quasdam Regulas ad prædictorum intelligentiam afferemus.

2 Prima igitur Regula sit, Suspensio ab ordine inferiori prohibet exercitium non solum illius ordinis, sed etiam omnium ordinum superiorum; ita vt suspensus a Diaconatu, nullum exercere possit actum Sacerdotalem; Quæ Regula non solum procedit in exercitio ordinis suscepti, sed etiam in collatione ordinis; vnde Episcopus suspensus a collatione ordinis inferioris, verbi gratia, subdiaconatus, suspenditur simul a collatione superiorum, ita vt Diaconatum, vel presbiteratum conferre nequeat; sicut qui epistolam cantare non poterit, nec Euangelium canere valet. Quæ regula colligi potest ex glos. in cap. 1. in verb. ordinum, de temp. ordin. lib. 6. Hostiensium cap. 11.

Bb 3 clus.

## De variis modis, quibus ferri solet suspensio. Cap. III.

### S Y M M A R I V M.

- 1 Suspendendi varij sunt modi, & quinam illi sine.
- 2 Suspensio ab ordine inferiori, etiam ab exercitio ordinum superiorum suspenditur.
- 3 Episcopus a collatione ordinis Diaconatus suspēsus, presbiteratum conferre nequit.
- 4 Cui quod minus est, non licet, nec eī quod maius est licere debet.
- 5 Suspensio ab officio prædicandi ab actibus Diaconatus, et ordinum superiorum suspensus non est.
- 6 Particulæ restrictiue [ Tantum, solum ] & [ Duntaxat ] quid in censuris positæ significant.
- 7 Episcopus primam tonsuram illiterato cōferens a collatione primæ tonsuræ est suspensus.
- 8 Suspensio ab eo, in quo peccauit, a quibus censetur suspensus.
- 9 Suspensio a Diaconatu, quamuis Missam celebrare non possit, ab alijs tamen muneribus Sacerdotij non suspenditur.
- 10 Suspensio ab ordine inferiori, quamuis exercendo actū or-